



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Modus Recte Se Disponendi Ad Felicem Mortem

Poiré, François

Coloniae, 1651

Dispositio VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55160)

tenemur, nobis præcipit illam quoquo modo euitare; cum præsertim tum Diuorum exempla illuc nos impellant, etiam illorum, quorum vita fuit integerrima, & consuetudo inter homines prorsus inculpata; tum vsus receptus Ecclesiarum, quæ columna est veritatis.

DISPOSITIO VIII.

Octaua est, Pia affectio aduersus Dei amicos, quorum beneuolentiam captemus, ut in illâ luctâ nobis succurrant. *Voca* dicebat Iob (a) *si est, qui tibi respondeat; & ad aliquem Sanctorum conuertetur, qui tuis lamentis propitiâ aurê præbeat.* Omnino præcipua nostra fiducia Seruatori nostro innitatur, eiusq; infinitis meritis: cui, si quis in nobis grati animi sensus superest, pietatem subiectionemque omni aliâ maiorem, præstabimus. Post illum verò nostra & eius sanctissima Mater iure proximum apud nos locum deposcit? & ut, quemadmodum Illa nos amore, quem nulla oratio explicet, prorsus eximio complectitur, ita & nos sensu ani.

(a) Iob. 5. 1.

animoque in Eam tam pio gratoque fe-
ramur, quantum modus nostri cordis
capere potest. Extrema profecto rustici-
tas foret, sub Angeli clientelâ curâque
vivere, qui nos perpetuo in oculis habet,
millenis quotidie in nos beneficijs profu-
sus; & tamen non nisi rarissimè eius
meminisse. Post hos quiuis peculiari pic-
tate erga Diuorum aliquos afficitur,
quos aut Deus illi pro suâ prouidentiâ
destinauit, interiori sensu colendos: aut
quibus inuocandis est aliunde obligatus;
aut quorum res gestas siue per lectionē,
siue aliâ ratione familiarius callet. Et
quandoquidem in largitione donorum
suorum, quibus Sanctos decorauit, decre-
uerit, vt illorum aliqui essent ante illos
præditi facultate ampliori, nobis in illis
angustijs opem ferendi, vt S. Ioseph, S.
Barbara, & alii; ratio & proprium emo-
lumentum suadet, illos crebrioribus ob-
sequijs prensare, illorumque gratiam ac
opem demereri. Deniq; cuiuslibet sit per-
suasum: si amor, quo hi serui Dei nos am-
plectuntur, tantis se beneficijs in vitâ
hac prodit, vt æstimari pro dignitate nõ
possit; eo momento, in quo salus nostra

versatur, eos ad miraculum vsq; nostris
causæ fore propitios. Sed id agendum est
vt eos iteratis per vitæ spatium officio
nobis faciamus addictos.

DISPOSITIO IX.

Nona est, Frequens vsus SS. sacra-
mentorum, Confessionis, & Com-
munionis. Dicitur non potest, quantum
profit, siue ad nos in Dei gratia retine-
dos, siue ad superandas, quæ quotidie
offerunt, tentationes, siue etiam ad pro-
merendum robur & auxilium peculiare,
quo nobis in hoc extremo conflictu est
opus.

Sed ego imprimis velim omnibus, co-
iuscunq; illi conditionis sint, cordi esse, vt
postquam semel sincerâ integrâque to-
tius vitæ confessione se expiârint, de-
inceps singulis annis eam ab vltimâ
resumant. Hunc morem hodie tenent
multæ bonæ mentes, non sine maximâ
fruge ac lucro. Illud certum est, plurimâ
eam conducere ad seruandam animi li-
bertatem, cauendamq; necessitatem, tot
anxijs inquisitionibus se conficiendi,
cùm mors imminet. Sunt enim eiusmodi